Clarissime & doctissime D. Doctor Rivete, Symmysta in Dno plurimum honorande, Fasciculus iste tuus serius ad nos à D.D. Theologis Groninganis fuit transmissus, propter inopiam tabellarij idonei & fidi, uti scribebant. Postquam vero accepimus Collega D. Scotanus & ego omnia diligenter perlustravimus & examinavimus. D. Maccovius novas celebrabat nuptias, & post nuptias aliquamdiu decubuit ex podagra, atque etiamnum decumbit. Quia tamen malum aliquatenus est mitigatum, legit Testardi libellum, censuramque & judicium suum nobis communicavit. Itaque collatis judicijs hoc commune nostrum judicium conscripsimus, & ad T. Rev. D. mittimus, Deum ex intimo pectore rogantes, ut pijs tuis laboribus benedicat, & Ecclesiam Gallicam clementer in Filio suo unigenito respiciat, quae hactenus velut virgo intemerata fuit, & sancto juramento orthodoxiae astricta, nunc vero impuris erroribus & periculosa heterodoxia tentatur & turbatur. Collegae mei libellos Gallicos Doct. Amyraudi legere non potuerunt, quia non intelligunt linguam Gallicam. Ego itaque ipsis monstravi te omnia in tua Synopsi fidelissime ex scriptis ejus excerpsisse. Aures nostrae ferre nequeunt istas Novitates, de duplici Praedestinatione, una omnium & singulorum, Itemque de Duplici Dei consilio, de salute per viam naturae, viam legis, & generalem quandam misericordiae divinae apprehensionem sine notitia Christi &c. Deus misereatur horum fratrum, ipsisque largiatur pro immensa sua misericordia, ut idem sentiant & loquantur cum Ecclesia Christi. T. vero R. Dig. Deus protegat & servet quam diutissime ad sui nominis gloriam & Ecclesiae multiplex emolumentum. Haec scripsi in magno frigore, doloribus calculi & haemorrhoidum, qui me hac acerrima hyeme infestant plusquam antehac longo tempore. Salutem T. R. Dig. et tuae lectissimae conjugi uxor mea adscribit. Sic salveat plurimum in Dno Vir celeberrime. Rapt. Franck. 10 Feb. st. vet. 1637.

Tuae Rev. Dignitatis
observantiss.
Johannes Bogermannus

Ex literis D. Joan. Bogermanni ad And. Rivetum, scriptis Franekerae 7 Febr. styl. veteri, 1637.

...gna-
...t ita
...m

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Reverende Vir, Præceptor æternum colende.

Et fama, et litteris amicorum, quæ in hoc ultimo Bataviæ angulo quasi seposito mihi gaudio sunt, nunciatum est, Te Lugdunensi Academiæ propediem ultimum valedicturum esse; ab Illustrissimo Arausionum Principe, Patriæ vero Parente, Imperatore, Victore, Triumphatore, ad Juventutis Auriacæ Principis curam gerendam evocatum. Enimvero ambobus Principibus, Patri hanc mentem, Filio hanc felicitatem, Alexandrea superiorem, Tibique hunc honorem serio gratulor; adfectum, sicubi potero, etiam quamprimum alio testimonio Tibi probaturus. Quem quin gratum habeas habiturusque sis non dubito pro eo amore et favore, quo me meaque studia jam olim prosecutus es. Quæso, illum mihi sartum-tectum esse jubeas; quod fortean in hac ipsa specula Tibi constituto, ostendereque facile factu siet; quum eo deventum fuerit, ut de alijs in societatem honestissimorum laborum allegendis cogites. An mei aliquis usus esse possit, dicere haut habeo. Hoc vel Tu nosti, meorum studiorũ ratione Te, ut opinor, non fugiente. Saltem adfectum et promtam voluntatem testari hisce volui; non ignarus, sedere Tibi, quod de alijs cogitem. Quod ut ita sit, non minus tamen recte et ordine me facturum censui, si in hanc non vulgarem cogitationem delatus, continuo de illa ad Te referrem; quem penes unum hæc stare non ignoro. Faxit Deus, ut ipsius honorifico tuus honos Principisque ac Patriæ utilitati cedat. Addo amplissimi Viri D. Foresti, Westfrisiæ Ord. Secretarij Ἐπίγραμμα ἰαμβικὸν; quicum ne paria facerem alia mihi obstabant. Bene Vale, Reverende Præceptor, et me porro ama. Dab. Hornæ a. d. XXVII. Septemb. CIϽ IϽ CXXI.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Tuæ Reverentiæ
ætatem debendi reus
Abrahamus Boestadius.